

orbiculos ei inclusos, circa quos funis vocatur, vt in trochleis & orbiculi & funes includuntur. Succulis etiam solent capita funium trahi: vt vectis auxilio imò nonnunquam rotarum facilius pondera eleuantur.

*Propositio ducentesima quinta, super verbis Platonis de fine Reipub.*

S. de Repub.

Est autem ei quod diuinitus generandum est circuitus, quem numerus continet perfectus. Humanæ verò, in quo primum argumentationes superantes, vt superatæ tres distantia: quatuor autem terminos accipientes, similia & dissimilia, abundantium & deficientium cuncta correspondentia, & rationem habentia inuicem effecerunt. Quorum sexquitercium fundamentum quinario iunctum duas efficit harmonias, ter aucta quidem; æqualem æqualiter centum toties, quandam autem æqualem quidem, longitudine autem singulum quidem numerorum à diametris rationem habentibus quinarij indigentibus vno singulis: non habentibus rationem autem duobus, centum autem cuborum ternarij. Totus autem hic numerus geometricus talem auctoritatem habet ad potiorem deterioremque generationem. Quem locum Aristoteles ita declarat. Quorum sexquitercium fundamentum quinario coniunctum duas exhibet harmonias, inquit, quando numerus diagrammatis huius efficiatur solidus.

Quin Polyt. Cap. 12.

Com.

*πυθμαρ* fundamentum interpretatus sum quod radix pro latere in hac materia accipi posset. Par est vt in diuina generatione numerus acciperetur perfectus: vt intelligat generationem confestim sequi corruptionem: nam sermo est de corruptione, corrumpitur autem vnumquodque vt aliud generetur, malum enim est ob bonum, non contra. Liqueat autem ex Euclide talem numerum esse octies mille centum viginti octo. Et hic est finis omnium vrbium diuinus, cuius quadruplum velut in cæli restitutionibus, ac continuato ordine solet obseruari, est propè annus magnus: verisimile est enim tanto tempore confundi decima, scilicet totius circuitus parte. Humane verò intelligit quatuor à monade numeros, aut in quavis ratione principium lineam superficiem corpus, vt vnum, duo, quatuor, octo pariter octo: duodecim decem octo viginti septem: inter hæc sunt tria spatia, & octo cum viginti septem sunt dissimilia & deficientia: maiora enim sunt suis partibus à quibus numerantur. Contrà decem octo & duodecim sunt similia atque abundantia, & correspondentem habent rationem inuicem. Hæc Aristoteles omittit, vt ad introductionem non rem pertinentia, velut & finem tanquam ex præcedentibus notum. Vnde verba Aristotelis sunt ad vnguem eadem verbis Platonis, scilicet: Quorum sexquitercium fundamentum quinario iunctum duas efficit harmonias: loco autem ter aucta qui-

dem, scibit Aristoteles: efficiatur solidus id est cubus, vt in quadratum suum ducatur; loco autem verborum æqualem æqualiter centum centies, vsque illuc à diametris rationem habentibus quinarij ponit numerum diagrammatis. Est autem diagramma, quod Plato vocat diametrum, cum numerus potest fermè duplum numeri alterius, vt 3. duplum 2. & 7. duplum 5. & 17. duplum 12. & semper numerus hic dimetiens, excedit duplum alterius vno, quod ex his patet, quæ ab Euclide demonstrata sunt in decimo libro. Quare si debet esse quadratum eius monade maius duplo, alterius quadrati, & duplum alterius quadrati est par, igitur addita monade erit impar, ergo latus eius dimetiens impar semper: latera autem ipsa quadratorum, quæ duplicantur aliquando paria sunt vt 2. & tunc quadratū dimetiētis est vnū plus duplo vt 9. est maius 8. monade, si verò latera imparia sint, erit quadratum dimetiētis vno minus duplo, vt 49. quadratum 7. est minus vno 50. duplo 25. quadrati 5. Ex quo patet agnatio, vt ita dicam inter 7. & 5.

Cum ergo dicit, quorum sexquitercia est, ac si diceret, ex horum numerorum serie sumemus septenarium principium epitrite, & dimetiētem 5. quos simul iungemus.

*Propositio ducentesima sexta.*


Rhombi passiones quasdam declarare. Sit a d recta diuisa in K per æqualia, cui supersistent K b & K c ad perpendicularum in-

Com.

Per 4. primi Elem.

Per 25. primi Elem.

Quæst 23. Mech.



ter se æquales, & singulæ earum minores K a & K d, & perficiatur figura quadrilatera a b d c, cuius latera erunt omnia æqualia inuicem, & anguli a & d oppositi, & b & c oppositi etiam inuicem æquales. Sed b & c maiores erunt a & d, & ideo talem figuram appellauit Aristoteles rhombum à piscis similitudine in medio latioris quam in extremis, cuius tamen longitudo latitudine maior est. Dicit ergo Aristoteles, quod si rhombus ipse circumuoluatur, ita vt b transfret per b a c, & a per a c d, a maius spatium transfret ex recta, scilicet a K d quàm b, quod transfret b K c. Et ad hoc assumit, quod cum angulus c sit maior a, igitur duæ lineæ a c d sunt minus curuæ quàm duæ b a c, igitur b a c habent rationem curui, & a c d recti. Ergo si in æquali temporis spatio b, superet b a c & a, a c d magis per rectam feretur a quàm b, sed quod rectum.